



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Margarita V. M. 20. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

atque alia identidem ligna adjiciebat; tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum tigno transverso angustam subire portam contendebant; è quibus primus peccantium, alter ambitiosorum, duo alii invidorum erant typus. Denique beatâ morte ARSENIVS quievit annos natus C.XXI. & tunc etiam talisque mortem horruit. Certè vivus semper cum strophio visus est, quod lacrimas biberet, quas mors exprimebat, expressura etiam nobis, si cum ARSE-  
NIO memoriæ impressam altius gestaremus. Ex Metaphr.

*Necesse est, ut illis escat dies patientiae, per quam omnia dura tacitâ amplectaris conscientiâ, te magis di-  
dicans, cui displicant, quæ ad salutem sunt, & in cogita-  
tione tuâ semper partem Magistri adversus temetipsum  
juvans, neq; accusare, illum excusare laborans. S.Bern.  
serm, de Circumc.*

## S. MARGARITA V. M. 20. Iulii.

**M**ARGARITAM in manus damus, vel cælo ju-  
dice preciosam. Adolescentula clam parenti-  
bus Sacra nostra edocta est. Eam ob causam ad  
Olybrium Præsidem raprata fuit, ipso ( nefas! ) pa-  
rente filiam accusante. Gravius etiam periculum  
cudebatur, quando Judex à formâ MARGARITÆ  
captus amatorem induit, & mollibus armis, blan-  
ditiis pugnam movit. Elusit tamen insidias Virgo  
prudens, & Præses larvâ amoris positâ tyrannum  
prodidit. Virgis initio cæsa, tum uncis lacerata &  
in carcerem data. Ibi quoque fatigatam recens  
hostis Orcus exceptit, Draconis exuviis horren-  
dus. Sed hunc objecto scuto Crucis repulit pre-  
cumque jaculis confixit. Victrici Superi tro-  
phæum

phæum posuerunt Crucem mirè splendentem , & è cujus apice columba solatia dedit & omnibus vulneribus medicinam. Triumphum hunc pri-  
mum ornarunt XV.millia hominum in libertatem Christianam è Deorum servitute asserta. Non multò pòst iterum pugnatum , & in triumphum ducti ignis & aqua. Nam & faces ardentes pectori admotas in sancti amoris flamas , & aquas , in quas abjecta erat,in baptismum vertit D E U S . Iterum ergo triumphanti columba illa divina palam coronam imposuit. Invidit Olybrius , & caput laureatum gladio abstulit. Sed imprudens alteram coronam adjecit. Ex Surio & Lippelvo.

*Diabolica temptationis tibi proponuntur exempla , ut  
& ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter  
evigiles , & dum te delectat aliorum audire victorias,  
ipse te per languidi corporis ignoriam non remittas.  
S.Pet.Dam.l.6.Ep.21.*

## S. DANIEL PROPH. 21. Iulii.

**A** Gite Mariani, si virtutis ardua, si resqua piget calcare, ecce ille magnorum regum vates, ille leonum & adeo Deorum domitor per pomaria illuc vos ducet. vos modò ne oculos otiosos afferre, sed obambulando ipsum pudicitiae florem Susannam spectate. Anne videtis, uti nec formæ decor, nec locus solus, nec blanditiæ minæve hunc possint decerpere ? nempe sola non fuit, quæ secum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè hoc suis in oculis Susannā tulit. Etenim, agite modò capita scelestæ , eja populum in vestram perniciem cogite , accusate innocentiam damnandi à puerō senes. Et, quid tu ais ? scelus. ubi facinus patratum ? sub schino. euge ! & tu Orci silicernium, ubi ?